

Longius insidias cerva videbit anus;
 Si doctus videare rudi petulansve pudenti,
 Diffidet miserae protinus illa sibi.
 Inde fit, ut quae se timuit committere honesto,
 770 Vilis in amplexus inferioris eat.
 Pars superat coepti, pars est exhausta laboris:
 Hic teneat nostras ancora iacta rates.

LIBER SECUNDUS.

Dicite 'io Paean!' et 'io' bis dicite 'Paean!'
 Decidit in casses praeda petita meos;
 Laetus amans donat viridi mea carmina palma
 Praelata Ascraeo Maeonioque seni:
 5 Talis ab armiferis Priameius hospes Amyclis
 Candida cum rapta coniuge vela dedit;
 Talis erat, qui te curru victore ferebat,
 Vecta peregrinis Hippodamia rotis.
 Quid properas, iuvenis? mediis tua pinus in undis
 10 Navigat, et longe, quem peto, portus abest.
 Non satis est venisse tibi me vate puellam:
 Arte mea captast, arte tenenda meast.
 Nec minor est virtus, quam quaerere, parta tueri:
 Casus inest illic, hoc erit artis opus.
 15 Nunc mihi, siquando, puer et Cytherea, favete,
 Nunc Erato! nam tu nomen amoris habes.
 Magna paro, quas possit Amor remanere per artes,
 Dicere, tam vasto pervagus orbe puer.
 Et levis est et habet geminas, quibus avolet, alas:
 20 Difficilest illis inposuisse modum.
 Hospitis effugio praestruxerat omnia Minos:
 Audacem pinnis repperit ille viam.
 Daedalus ut clausit conceptum crimine matris
 Semibovemque virum semivirumque bovem,
 25 'Sit modus exilio,' dixit 'iustissime Minos:
 Accipiat cineres terra paterna meos!
 Et quoniam in patria fatis agitatus iniquis